



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 59. Prosper Obsidionem solvere compulsus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

**Sæcul. XVI.** bus, qui haud exiguum agmen conficie-  
**A.C. 1521.** bant. His copiis auctus Parmensem Du-  
 catum ingressus, urbem obsedit, cui Le-  
 scunus præter duo Itatorum millia, quæ  
 sub Principe Friderico Bozzolo præsidia  
 agebant, quadringentos cataphractos  
 imposuit. Jamjam obsidentes tertia ir-  
 ruptione facta urbis propugnaculum flu-  
 mine ab urbe sejunctum occupabant,  
 cum ecce! Prospero Columnæ nuncia-  
 tur, quod Ferrariæ Dux cum centum  
 gravioris, ac ducentis levioris armatu-  
 ræ militibus, ac duobus peditum milli-  
 bus in aciem processisset, jamque Fina-  
 rium, & sancti Felicis castrum expug-  
 nasset, ac demum recta Mutinam con-  
 tenderet; Præterea eidem innotuit, quod  
 Lautrecus cum quingentis Lanceariis,  
 quinque Helvetiorum millibus, ac qua-  
 tuor Gallici peditatus millibus trajecto  
 Pado Parmensi urbi suppetias veniret.  
 Hoc accepto nuncio Prosper obsidionem  
 solvit, fuga sibi consulturus.

## §. LIX.

*Prosper Obsidionem solvere compulsus.*

**Guic. l. 14.** Parmam obsidione liberatam ægerrime  
 ferebat summus Pontifex; bellum  
 enim diuturnum fore præviderat, ac  
 Cæsare pecuniis destituto, totam sum-  
 ptuum molem Sedi Apostolicæ impen-  
 dere



dere pertimescebat; aliunde Hispano-  
 rum fidem sibi suspectam habebat, nec  
 eos sincero animo rem agere suspicaba-  
 tur. Attamen Hispaniæ Legatus de in-  
 tegra suorum fide Papam securum red-  
 debat, eique auctor erat, ut datis ad Se-  
 dunensem Cardinalem literis Helvetii ex  
 suis Pagis duodecim armatorum millia  
 conscriberent. Obluctabantur dudum  
 Helvetii, tandem vero Cardinalis pre-  
 cibus cesserunt, ea tamen lege, ut hæ-  
 copiæ adversus Gallos arma capere non  
 cogerentur; quodam enim articulo fœ-  
 deris cum Francia initi cautum esse di-  
 cebant, ne adversæ parti, si jamjam fœ-  
 deratis copias subministraffent, ullo pa-  
 cto militum suppetias mitterent. Ast  
 hanc conditionem eludere, haud igna-  
 rus erat Cardinalis. Sub idem tempus  
 Papa etiam datis literis Prospero præ-  
 cepit, ut trajecto Pado Mediolanensem  
 Ducatum invaderet: Medicæus quoque  
 Cardinalis relicta quantocius Florentia,  
 Legati Apostolici munere suffultus su-  
 premum fœderati exercitus imperium as-  
 sumpsit, quod Columna & Piscarius li-  
 benter eidem relinquebant, ne forte in-  
 viti illud æmulo suo cedere cogerentur.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1521.

Ergo Medicæus exercitum ad Oll-  
 rum flumen ducit, ut Rebeccanam  
 urbem in Venetorum ditione quarto la-

H 2

pide



**Sæcul. XVI.** p. 100. a Pontevico diffitam expugnaret.  
**A.C. 1521.** Hoc in loco hostis sibi plenam securitatem pollicebatur, eo quod Venetorum Legatus promississet Pontifici, quod eorum Senatus, quamvis Dux cum Francisco Rege foedus pepigisset, Gallorum copiis ad nullam Reipublicæ urbem ingressum concessurus foret: unde quoque concludebat Legatus, Venetos nunquam eo duntaxat sine, ut unius fluvii transitum impedire possent, copias suas discrimini exposituros, ne forte exercitu suo semel profligato sese non minus, quam Mediolanenses alieno imperio subicere compellerentur. Obstupuit tamen vehementer Legatus, postquam ei summo mane nunciasset Columna, quod Lautrecus noctu Pontemvicum tormentis muniisset, ut cum illis Foederatorum castra Rebeccæ posita infestaret.

## §. LX.

*Foederatorum exercitum fundendi occasio a Lautreco neglecta.*

**E**nimvero tormentorum vis foederatorum copias tanta clade afficiebat, ut post unius horæ intervallum tam præcipiti fuga castris excedere cogerentur, ut abs dubio, si Lautrecus tormenta sua Pontemvicum mittere distulisset, ac ipse cum suis copiis eo sese contulisset, foede-